

ceribus novis ex attestazione eorumdem Officialium in Secretaria exhibita. Sic refert D. Ursaya tom. 1. parti. 2. dizept. 30. num. 24. & seq. Et de facto Sacra Congreg. Concil. in *Parfen. Marim. 26. Martii 1707.* declaravit, quod matrimonium contractum ab eo, qui erat, caetera- tus ad custodiam, vel ad correctionem, coram Parocho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in poenam perpetuo, vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium. Et hoc decretum legitur impressum in *Statuto Cleri Rom. cap. 3. de iure eligendi sepult. num. 4. in addit. & sic cum pluribus aliis juxta nostram conclusionem tenet Pignatell. tom. 7. consuli. 86. ubi in fine adducit etiam ipse ad id statutum Cleri Romani, dicitque extare decretum pro ecclesia parochiali S. Mariae Transpontinae, & pro ecclesia S. Blasii in via Julia pro captivis pariter in poenam in carceribus novis; ac concludit tenendum esse, quod mancipati carceribus in poenam per aliquod tempus, si ibi moriantur, debeant sepeliri in Parochia carcerum, & si contingat alibi sepeliri, debeatur quarta funerals eidem parochia; quia cum sint servi poenae, contrahunt habitationem ubi luunt poenam, ut dicitur de Relegatis, per text. in *leg. filii libertorum. 22. §. Relegatis, ff. ad municipalia, ibi: Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet, quod Glossa in leg. Ejus, qui 27. §. final. vers. Unde accretor eod. titul. & cum multis aliis Samuel de sepulturis, disp. 5. contrav. 9. concl. 10. num. 14. intelligunt de Relegatis in perpetuum; Relegati autem, ac confinati ad tempus sunt sepeliendi in eo loco, & civitate, ubi decesserunt sepeliri, ac si non essent relegati, ut expresse concludit Samuel loc. cit. allegans ad id Bartolum, Abbatem, Felinum, Joann. Andream Zabarellam, Lavorium, Florian, & alios.**

212 In sepulchro servi Dei cum fama sanctitatis decessi non est vetitum apponi aliquod signum insolitum ad dignoscendum, quod ibi sit sepultus; cultus enim publicus prohibitus non infertur, ex quo corpus servi Dei tumulatum sit in sepulchro separato cum simplici inscriptione in lapide, aut in capsula collocata in sepulchro communi cum inscriptione nominis, aut in sepulchro magnifico: Sic egregie, & erudite suo more plurimis adductis docet Cardin. de Lambertinis, qui fuit Summus Pontifex lib. 2. de Servo. Dei Beatiſſ. & Bear. Canoniz. cap. 12. & seq. Et ratio est, quia si haec, & his similia libere fiunt erga illos etiam, qui ex hac vita decedunt sine ulla sanctitatis fama, ut infinitis exemplis experientia demonstrat, multo magis fieri poterunt erga eos, qui cum ipsa sanctitatis laude moriuntur; cum isti nedum deterioris, sed multo melioris, & excellentioris conditionis praestent illis haberi debeant. Tum quia absque eo, quod ob id quidpiam commissum dici queat, seu contra jus commune, seu contra Urbani VIII. decreta, aliasque Apostolicas sanctiones, summe hoc juvat ad probandum identitatem, de qua tractatu temporis posset exoriri dubitatio, sique difficultas fieri probatio, ut contigisse in casu nostrae Beatae Hyacinthae de Marescotis testatur supra laudatus de Lambertinis loc. cit. num. 13. Unde ad avertendum dictum periculum supradicta licere tradunt Pignatell. tom. 4. consuli. 48. per tot. Castellin. de certitud. Glor. Sanctorum cap. 2. puncti. 32. num. 41. & Molphes. cons. 45. num. 14. ibi: "Si enim hujusmodi viris sanctitate perspicuis locus ab aliis separatus non daretur, sed simul cum aliis humeretur, non possent suo tempore ab aliis segregari, & distingui. Et sic ecclesia careret corporibus, & aliis Sanctorum reliquiis, & Sanctorum cultus maximam patenter jaeturum." Sic refert, & tenet cum plurimis aliis nunquam satis commendatus de Lambertinis loc. cit. num. 12. & seq. merito ibi, & per tot. attente, & fructuose legendus.

213 Patres Cappuccini tenentur tradere, sicut alii, Parochis quartam cereae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum ecclesiam tumulanda deferuntur, & Intorriorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum ecclesia expositum. Sac. Congreg. Concil. in

Aquensi, Oppidi Ovadae 19. Septemb. 1732. & in Lunens. Sarzan. 18. Martii 1737. ad renorem constitutionis Benedicti XIII. incip. Romantus Pontifex, ac in *Orianis 12. Febr. 1739.*

214 Adduntur attendenda, quae sequuntur. Pro extractione, introductione, vel transitu cadaveris delati ad sepulturam, nequit exigi gabella, aut vestigal: Sic reprobatis contrariis sententibus, nervose constat Card. de Luca de Regal. disc. 166. occasione praetensionis excitatae pro cadavere Cardinalis Giberti Borromaei, qui obiit in oppido Neptuni, & transportatus fuit ad Urbem; & in fine testatur ita viva vocis oraculo decisum fuisse a S. M. Alexandro VII. occasione ejusdem praetensionis Dehanerorum pro translatione cadaveris Infantis Margaritae de Sabaudia, quae in Urbe pie decedens, Assisii sepulturam elegerat; quem aliis adductis, sequitur *Add. ad Pamphil. dec. 323. num. 9. apud Ursayam Inst. crimin. lib. 3. tit. 9. num. 48. & 49.* Et sic expresse declaravit S. C. Immuni. in *Firmans 10. Jun. 1653.*

215 Nec Parochus occasione transitus per suam parochiam cadaveris alterius parochiae, & diocesis potest praetendere aliquam partem cereae, aut pecuniarum pro quarta funerali, aut alio titulo ab heredibus defuncti, ut expresse statuit Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in *Placentina 24. Novembris 1713. in respons. ad 2. dub. Vid. verb. Parochus art. 3. num. 37. ubi alia ad rem per tot.*

216 Ante Solis ortum, aut post illius occasum, absque licentia Ordinarii, non possunt cadavera ad sepeliendum deferri. Sac. Congreg. Concil. in *Novarum 15. Martii 1740. in respons. ad 4. dub. Et sic statuunt fere omnes synodi diocesanarum, & signanter nostra Alexandrina celebrata anno 1734. tit. de sepulturis, vers. Ante solis ortum. Non potest tamen Episcopus demandare sub poena excommunicationis latae sententiae, ut cadavera ante lapsum 24. horarum ad emissionem spiritus ad ecclesiam non deferantur. S. Cong. Concil. in *Hortion. censuratum 12. Decembris 1705.* Quamvis possit statuere, ne cadavera sepeliantur, nisi 12. saltem horis ab emissionem spiritus; seu 14. si agatur de subitanea, aut repentina morte decessis, ut statuitur in dicta Alexandrina Synodo loc. cit. & passim etiam in aliis.*

217 Additur adhuc attendenda ad rem sequens resolutio particularis Congregationis à Clemente XI. deputatae, & adjecta statuto Cleri Romani §. 7. & 8. ac relata à sepius laudato Cardinali de Lambertinis *Voluntate 5. Notificatione 17.* his verbis: "Infantes, qui nutritibus alendi extra propriam parochiam dantur, retinent domicilium in parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in alia parochia decedant. Patre vero orbatos, quousque apud ipsam matrem aluntur, licet in potestate tutorem, non matris, existant, de parochia matris, non tutorem, esse declaramus. Si nutritibus alendi extra propriam parochiam dantur à matre, domicilium in parochia matris; si vero utroque parente caruerint, domicilium in parochia tutorem, non vero nutritum, retinere declaramus. Quod nisi nec tutores habeant, in parochia, in qua decedunt, statuuntur."

218 * Attendenda sunt sequentia decreta, relata ab eruditissimo P. Cavalieri in *agenda defunctorum, & ibi doctissime commentata.*

219 Episcopus impediatur cum omni diligentia, ac pastoralis sollicitudine absum gentilitatis, quod femine in funere suorum liberorum, parentum, aut maritorum, capillos evellant; penas autem exigendas ipse non retineat, sed apud depositarium deponat. S. C. Episc. & Regul. 20. April. 1687. Vide verb. *Cadaver num. 24.*

220 In secundo triduo majoris hebdomadae non possunt celebrari exequia defunctorum, & officium, & preces recitentur privatim. S. R. C. 11. August. 1736. in *Placentina.*

221 Defunctorum corpora in ecclesiis Regularium tumulanda, deferenda sunt recto tramite, & per viam à Parocho declarandam; ad ecclesias ipsorum Regularium

222 rum, non autem prius ad parochialem. Quod servandum erit etiam heredibus defunctorum contradicentibus, & ad dictam parochialem prius deferri volentibus. Sac. Rit. Congr. 19. Decemb. 1671. in *Savonen.*

223 Haeredes non tenentur vocare, nisi Parochum. S. C. Episc. & Reg. 28. Sept. 1646.

224 Si electio non fiat ab heredibus, Parochus ad funus potest vocare quos voluerit, omissis etiam vicinioribus. S. R. C. 7. Septemb. 1613. in *Ferrari.*

225 Quoties electio fit à Parocho, Clerici ecclesiae debent externis praeferi. Sac. Congreg. Episcop. & Reg. 23. April. 1649.

226 Funus comitantes in parochiali ecclesia, vel in alia juxta loci consuetudinem omnino convenire debent. S. R. C. Februar. 1631. in *Tropien.*

227 Nullo modo permitendum est à funus comitantibus Parochum expectari per vias, vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine expectandi per vias, vel ad domum defuncti. S. R. C. 12. Februar. 1633. in *Thelesina.*

228 An liceat Curatis, salvis eorum juribus parochialibus, impedire contra voluntatem haeredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum, ad quasvis ecclesias deferenda, una cum Parochis, & Clericis personaliter associet? Sac. Rit. Congreg. respondit: *Regulares in casu proposito non posse impediri. Die 3. April. 1633.* aprobante Urbano VIII. die 25. Jun. 1633. in sua constituit. Nuper pro parte.

229 Parochi, Capellani confraternitatum, Sacerdotes, alique ecclesiastici, qui cotta induti interveniunt processionibus funeralibus, deferant, sicuti in aliis processionibus, birretum sacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviae, & noctis, prout descriptum in *Rituale Romanum tit. de Procession. & ut saepe resolvit Sac. Rit. Congreg. Quae quidem pilei prohibitio non solum est pro ecclesiastico seculari, sed etiam regulari, licet sint Parochi cotta induti. Clemens XI. 9. Decemb. 1704. constit. La Sanità di nostro Signore.*

230 Nullo modo est tolerandus abusus, quod mortui currum clausi deferantur ad ecclesiam. Sac. Cong. Episc. & Regul. 17. Martii 1650.

231 An Congregationis Sacerdotum secularium sub invocatione Sancti Philippi Neri in associatione confratrum defunctorum competat praecedentia supra Regularum? 2. An eidem Congregationi occasione associationis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam crucem? Ad primum, & secundum affirmative respondit Sac. Rit. Congr. 19. August. 1719. in *Imolens.*

232 In depositione defunctorum in verbis illis: *Non intrat in iudicium cum servo tuo Domine, quia nullus apud te justificatur homo,* quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *servo tua,* vel *servis tuis* absque Sacrae Rubricae lesione, & servandum est *Rituale. Sac. Rit. Congreg. 31. August. 1697. in Fanen.*

233 In exequiis parvulorum in Feria V. & VI. & sabbato majoris hebdomadae potest omitti *Gloria Patri* in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. Sac. Rit. Congreg. 16. Jun. 1677. in *Hispol.*

234 Parvulorum sepulchrum ab aliis debet esse separatum. Sac. Rit. Congreg. 10. Decemb. 1620. in *Civitat. Castellan.*

235 Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in ecclesiis Regularium, si ibi est sepulchrum majorum, vel concurrente consuetudine, si ibi pater eligat sepulchrum. Sac. Rit. Congreg. 10. Decemb. 1620. in *una Civitat. Castellan.*

236 Sepulchrum eligere licet parentibus in quacunque ecclesia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec à Parochis locorum impediri possunt, aut debent praesertim si in dictis Regularium ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulchrum majorum. Sac. Congreg. Episc. & Regul. 20. Jan. 1610.

237 Sacra Congreg. Regul. & Episcop. examinata prius diligenter relatione Episcopi, censuit licuisse, & licere

parentibus in ecclesia Fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam, ac propterea restituenda esse ipsorum fratrum ecclesiae cadavera infantium jam deposita, praemissis, ceterisque quibuscumque non obstantibus. *Die 20. Martii 1643.*

240 Exhumeretur puella, & sepeliatur in sepulchro majorum, in quo sepeliri debent quicumque carent facultate sibi eligendi sepulturam. Sac. Congreg. Episc. & Regul. 11. Octob. 1616. & praesertim si pater sic sepeliri intendat. *Ead. Congr. 22. Februar. 1641.*

241 Infantes, alique quicumque, qui non habent facultatem sibi eligendi sepulturam, vel hac non electa decedunt, sunt tumulandi in sepulchro suorum majorum, vel in parochiali ecclesia. Sac. Congreg. Episc. & Regul. 16. Novemb. 1625.

242 Clerici non sepeliuntur in sepulchro suorum majorum, ubi est consuetudo eosdem sepeliendi in sepulchris separatis à laicalibus. Sac. Congreg. Episc. & Regul. 13. Maji 1610.

243 Clericus, qui sibi non electa sepultura decedit, sepeliri debet in sepulchro majorum, & non Clericorum. Sac. Rit. Congr. 6. Maji 1705. in *Senogall.*

244 Sepultura non electa, si uxor praemortua, & maritus habeat proprium sepulchrum, in ipso tumulari debet, quamvis extra limites parochiae, ubi mortua est. Sac. Rit. Congreg. 15. Jan. 1633. in *Senogalliens.*

245 An cum Fratres aliqui extra monasterium moriuntur, & à Curatis Sacramenta receperunt, possint ab eorum Superioribus ad suas ecclesias deferri, Parochis inconsultis? *Resp. Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis. Sac. Congreg. Concil. 2. Jul. 1620.*

246 Clerus secularis nihil potest praetendere propter exequias, aut sepulchrum Monachorum, aut Fratrum morientium extra claustra; Sac. Congreg. Episcop. & Regul. 24. Novembris 1634. & 24. Septembris 1636.

247 An in ecclesiis fratrum sepelienda sint cadavera eorum, qui Ordinis habitu induti, ex hac vita migraverunt? *Resp. Si conditiones in Bulla aurea felic. record. Sixti Papae IV. contentas, in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet quod à Guardiano domi loci, in quo tales decedere contigerit, ut ab alio Superiori, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac praedictus Guardianus, vel alius Superior eosdem praemonuerit, eorum cadavera propter habitum concessionem, seu receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda; eo casu cum habitu Religionis decedentes, in ecclesiis pariter ejusdem religionis ecclesiasticae sepeliri esse tradendos. Sac. Congreg. Episcop. & Regul. 11. Decemb. 1615.*

248 Parochi Superiores ecclesiarum secularium, & regularium Sacristae, & alii, ad quos spectat, non permittunt debent, quod cadavera ecclesiasticorum secularium praesertim Sacerdotum, sicut etiam Diaconorum, & Subdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad ecclesias, vel in istis exponantur quocumque alio habitu, sive confraternitatum, sive religionum, juxta cum sacris vestibus eorum Ordini convenientibus, juxta dispositionem Rituale Romani tit. de exequiis. Clemens XI. 9. Decemb. 1705.

249 Canonici pluviali, planeta, dalmatica, vel tunica parati non debent deferre almutas: Canonico vero defuncto induto planeta, seu dalmatica, vel tunica impo- poni potest almuta super brachium. Sac. Congreg. Rit. 4. August. 1693. in *una Dalmatinarum.*

250 Pileus Episcopi demortui debetur ecclesiae tumulanti, non cathedrali. Sac. Congreg. Episcop. & Regul. 26. April. 1635.

251 Ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (scilicet Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacristae, Ostiarii, & alii Custodes etiam Regulares) provideant, ut capsae omnes, & deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia, omnino amoveantur, prout

nem christianam profitentes humo traduntur, in pulveremque revertuntur: D. D. Gregor. Lopez in eius gloss. sic se explicat: cimiterium dicitur quasi cinis tertium, quia ibi cinis mortuorum teritur, vel a cinas, quod est dulce, tenorque est statio, quasi dulcis statio: ab Episcopis sunt in ecclesiis, quæ sibi bene visæ, assignanda, ac passus, ex quibus sepultura constare debet, si cathedralis, conventualis, parochialisve fuerit ecclesia, numerantur; Vide verb. Tutela, in add. hisp. nov. vers. Jam quodam per leg. 5. stabilitur, ubi quisque est sepeliendus, in cimiterio scilicet illius ecclesie, in qua divina audit officia, sacramenta recipit, nisi absque fraude sepulturam alibi eligerit: (Vid. lit. P, pag. 43. vers. Etiam inter requisita: & lit. Q, pag. 13. vers. Consuetudinem: in addit. hisp.) in oratoriis, dummodo assensus Episcopi abfuerit, capellisse, nullus sepeliri debet: de facto autem sepulchrum extrahitur, atque oblationes, ceteraque omnia causa ipsius sepulture habita illico tradenda; lex 6. præter ea, que liter. C, pag. 5. & lit. Q recensentur, etiam disponit, partem, quæ ex consuetudine debetur, ex legatis certæ personæ relicti deducendam haud esse, neque de armis, & equis, in Terræ Sanctæ subsidium donatis, pro ædificatione, ecclesiarumque ornamentis, libris, campanis, calicibus, luminaribus, aliisque ad cultum divinum destinatis: neque de eis pars consuetudinaria detrahatur, quæ hospitalibus, pauperibus, pro anniversario, pontium refectione, seu constructione reliquuntur, dum in omnibus solus defuerit, eo quod Episcopo, & Ecclesie non sit animus præjudicium irrogandi: ista nihil capiet, si quis in monasterio sanus ingressus ibi mortuus fuerit: si infirmus, & ex ipsa aegritudine decesserit, & converso proceditur.

Hic animadvertere convenit, quod prout in communi, similis consuetudo in hispania deficit: verumtamen, ubi adsit, à præscripto per sacrosanctum Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 13. de Reformat. non est recedendum; est distinctio faciendi in hac peninsula inter funerala jura eamque partem, quæ proprie sub Quarta nomine comprehenditur: jura prædicta semper solvenda licet in Regularium ecclesiis (Ad rem lex 2. tit. 18. lib. 1. Recop. Ind.) electio fiat sepulture, ibique sepeliatur: circa necessitatem talium jurum aliquid innui videtur Auct. Dec. 4. §. 13. tit. 1. lib. 4. Recopil. Præter quod, D. D. Caroli II. regnante, Regiam constitutionem expedire non solum fuit visum oportuunt, ut in ecclesiasticis judiciis taxa circa sportulas (Vide verb. Cancellaria, vers. Ex quo: & verb. Notarius, vers. Non omni territorio: prope fin. in addit. hisp.) ad regia tribunalia, præscripta observaretur, verum etiam, ut in omnibus ecclesiis, sicut erat de consuetudine, funerala, aliæque jura parochialia constituerentur, & signarentur: in provinciis Americanis leg. 10. tit. 18. lib. 1. Recop. earund. Conciliorum Provinciarum stabilimenta, consuetudinemque legitime introductam observari summo opere demandatur, sed quæcumque ecclesiastica ob ministeria, illa pecuniaria exactio de personis proprie ex illis provinciis, seu ditionibus oriundis, non est permittenda: Archiepiscopis, & Episcopis in Conciliis Provincialibus, leg. 9. tit. 8. lib. 1. ejusd. Recop. commendatur, taxam fieri jurium similium, cujus recognitio absdubio juxta lit. C p. 227. in addit. hisp. & leg. 2. tit. 8. lib. 1. Ind. ante executionem per regia suprema Tribunalia, regiam Personam representantia, effici debet. Non officit perlectio tit. 18. lib. 1. Ind. ideo determinata explanatur, seu inseruntur: Circa leg. 1. 2. 3. & 6. Vide lit. Q vers. Consuetudinem: pag. 13. Provincialibus, Prælati, Religiosis aliis, etiamque Clericis per leg. 4. demandatur, quod omnem diligentiam adhibeant, ut in concionibus, in consiliis præbendis, atque in sacramento Penitentiae, ad pia opera illis regionibus, ubi sunt aliti, & acquisita locrati, facienda, testantibus suadeant; per leg. 5. præcipitur, quocumque cum testamento, seu ab intestato decedente, si ex hæredibus sive executoribus nihil adesset, juxta personæ qualitates (Vide verb. Successio ab intestato, vers. Non potest: lit. T pag. 45.

& 47. in addit. hispan.) summamque bonorum debere Prælaturam decernere, die, in qua corpora sepulture tradantur, missæ sacrificia tot celebrari quot sibi fuerint bene visa: pecunia ab ipsomet Prælato cum gubernatore, Correctore, seu Proprietore, eorum mandato præcedente, cum eodem objecto tradatur: omnibus hujusmodi adimplementum, & executio committitur, & impense ad rectam rationem revocanda; cum missarum quarta pars jure, ac consuetudine ad parochiam spectare assereretur, (mos hic Matriti observatur) atque Episcopi hanc quartam deducere intendere, sicut in metropolitana Regum ecclesia, ceterisque ejusdem territorii eveniebat, per leg. 6. decisum advertitur, sic decretum observantiam retinere, jus, & consuetudinem servari, & à Prælati ita tri custoditum; lex 8. in divisione faciendi circa jura funeralia, testamentorum implementum, festivitatis, processiones, anniversaria, oblationes, ceteraque emolumenta inter Capitulum, Parochos, officia alia ecclesiastica Mexicanæ Cathedralis, certam concordiam præscribit; per leg. 9. providetur, Sede vacante, in defunctorum exequiis concursus Decani, & Capituli non esse permittendum, observabitur itaque testatoris voluntas, dispositumve ab ejus executoribus; leg. 10. vid. sup. & lit. Q d. vers. Consuetudinem: ibi lex 13. tit. 13. lib. 1. Ind. invenitur, cujus executionem lex ista 10. in fin. commendat; tandem lex 11. præfinit, loca quædam benedicta, ut corpora quarumdam personarum tumulerent, præcipue dum in tanta distantia ecclesie, ubi sepelienda, reperirentur, ut difficile, magnoque absque sumptu portari nequeant.

Leges Part. prosequantur. Per leg. 7. deciditur, ecclesiam parochialem jus suum non amittere, licet confratres in confraternitatis loco sepellantur, si domo sua cum propriis habitant bonis, (vid. verb. Bremita) ac in ea paraxia sepulchro sospes mandatur, in qua, ubi mortuus fuerit, sita est domus: ad ultimum damnatus supplicium, non alibi quam in eo includitur cimiterio, in quo animadvertit consummatur Eucharistia, si petierit, non denegatur, quamvis hoc Augustissimum, tam Venerabile Sacramentum non receperit, dummodo per eundem reum non steterit, atque signa dederit penitentiae; (Vide lit. E pag. 331. prop. fin. col. 2. cum reniss. ibi.) per leg. 8. 9. & 10. personæ demonstrantur quæ locis hujusmodi non sunt tumulanda, videlicet Mauritanii, Judæi, Hæretici, ceterique christianam religionem deserentes, excommunicati etiam minori excommunicatione, si est in qua scienter, per contemptum, aut familiaritatem cum excommunicatis incurritur; (vide verb. Excommunicatio) sepulti illico sunt extrahendi, nec ibi est missa canenda, neque effici poterit ecclesie consecratio, interea corpus non extrahatur: quibus, nobis viventibus, non est communicandum, nec mortuis, communicatio est permittenda: verum extractio, si valent ossa discerni, effectum sortitur: publicus usurarius etiam sepultura caret, nisi poeniteat, cautionemque de restituendo præstiterit, mortali culpa scienter decedens eosdem gressus sequitur, sed signa contritionis præbenti conceditur: in torneamentis occisi, quamquam confessi, & Eucharistiam recipientes: de publicis raptoribus idem asseritur, nisi satisfecerint, vel alii pro eis solverint; (Vide verb. Dnellum, & in eadem lit. D pag. 99. in add. nov.) decernitur per leg. 11. intra ecclesiam, præter certas personas, scilicet Rex, Regina, Infantes, Episcopi, Priores, Magistri, Commendatores, qui Ordinem Prælati sunt constituti, homines divites, vulgo Ricos Omnes, probi, ecclesias, seu monasteria; (Vide in fin. verb. Jus Patronatus) de novo edificantes, ac denique quivis sive Clericus, sive Laicus, vita, imitatione dignæ, & optimis moribus, atque operibus præditus, nullam alium esse sepeliendum; (Vide leg. 1. tit. 11. ejusd. p. 1.) sed lex 5. tit. 18. l. 4. For. Reg. indicat cadaverum corpora in ecclesia tumulari debere, vel sepelienda esse; ad leg. 12. vide supra lit. C vers. Insuperhabito: vestibus, & pretiosis ornamentis, auro, argenteo contextis nemo (leg. 13.) sepe-

pellatur: læcipiuntur Regiæ Personæ, Nobiles, Equites, Episcopi, & Clerici: duo ultimi sacris vestimentis debent sepulture demandari: tria signantur fundamenta ob quæ ita erit observandum: neque in hac, neque in altera vita ulla utilitas mortuis accedit: viventibus præjudicium generat, nam res sic inclusas amittunt, cum ex eo loco capi nequeant, ac demum mali homines, cupiditate, & omnium malorum radice, (Vide lit. P, pag. 94. vers. Usuram: in add. hisp.) pleni sepulchra, defunctorum domos, violant; exhument, quæ cadavera; (Vide lit. C, pag. 4. in add. hisp.) ad l. 14. vide præter in leg. ibi cit. 12. tit. 9. p. 7. Sed maleficio ratione ad minus in centum condemnatur marapetinos: actione intenditur injuriarum, & loci ante judicium; lex 15. seu final. determinat, pretextu debiti haud posse, nec bona per vim capienda: neque usquequo novem dierum spatium transierit, hæredes non sunt judicialiter conveniendi; (Vide lit. T, pagin. 53. col. 2. in prin.) fidejussores, & pignora dari non debent; nec novatio est permitenda, nisi oriatur aliqua suspicio, ex qua præsumptio occultationis proveniat: contrafaciens amissionem juris, restitutionemque illius per vim ablati plebitur: si fuerit probatum, nihil à defuncto deberi, hæredes quantum à præsumpto creditore sit acceptum, tantum cum duplo ex ipsius bonis capient.) Circa Ricos Omnes, lit. B, pag. 395.

APPENDIX

SEPULTURA

FERRARIS noster num. 172. hujusce articuli brevi se expediat à questione jam toties, & novissime etiam acriter disputata, utrum scilicet Catechumeni sine Baptismo decedentes ecclesiastica privandi sint sepultura? Ab ea, ne dicam exagitatione, seu etiam tangenda personæ abstinentem, nisi mandatum accessisset maximi viri, cujus nutibus resistere, mihi religio est. Ut autem ea qua par est claritate, hæc controversia discutatur, nonnulla in antecessum adnotanda duxi de variis Catechumenorum gradibus, & distinctionibus.

Plures jamdum fuisse Catechumenorum classes, & gradus, res est apertissima in veteribus ecclesie monumentis, quamquam tum Auctores, qui sacris Christianorum ritibus illustrandam operam navarunt suam, tum ipsi Theologi inter se non conveniant in his enumerandis, & distinguendis.

Duos dumtaxat recenset Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii (tom. 3. operum ejusdem S. Doctoris, edit. Maur. col. 374.) nempe Audientium, & Competentium. Communiter tamen Catechumeni in tres distribuuntur classes, quarum prima Audientium, Genesio Genesio altera, tertia Competentium, seu Eleutorum. In prima constituebantur illi, qui privata instructione exacta, publice in ecclesia instruebantur per Episcopum. Ad secundam spectabant, qui participes, consortesque fiebant Orationum, & Exorcismorum, qui super Catechumeno fundebantur. In 3. collocabantur, qui idonei ad Baptismum judicati nomina sua dabant, ut nimirum inter illos recenserentur qui jam proxime ad suscipiendum Baptismum erant destinati, illisque symbolum tradebatur reddendum postea Baptismum suscepturi. Vide Opus eruditum Josephi Vicecomitis de antiquis Baptisti ritibus, lib. 2. Van-Espen. §. E. U. part. 11. tit. 2. cap. 3. per totum, & Tourney de Sacram. Baptisti quest. 3. art. 3. Juven. Commentar. histor. & dogm. de Sacramentis, dissert. 2. de Baptisti. cap. 2. art. 1. Du Cangii Gloss. tom. 1. pag. 887. alioquin, tametsi viri Eruditissimi eandem non sequantur partitionem, quos inter Martens, qui lib. 1. de anti-

Christianorum rit. cap. 1. art. 6. Genesio Genesio, Catechumenorum specialem classem constituisse negat, asseritque ita vocitari consuevisse Catechumenos lapsos, qui penitentia peragenda admittentur, quapropter illos distinguit in Audientes, Electos, & Competentes. Eodem pacto Catechumenos partitur Berti de scol. dico. lib. 3. l. c. 20. nisi quod Elektis Competentes anteponat.

Non est hic discutendi locus, quænam harum sententiarum alteri sit præferenda. Illud tamen certe eruitur, non omnes Catechumenos eodem in sensu habitos fuisse, aut esse habendos; sed semper rationem habitam fuisse progressus quoad instructionem, mores, Baptisti desiderium, aliæque id genus. Ab eadem regula recedendum non esse, si discedere eos ex hac vita contingat nondum baptizatos, pro certo habeo. Unde Catechumenos omnes ad tres etiam classes esse revocandos existimarem.

Ad primam pertinent illi, qui ignavia, & torpore arrepti, vel ut suis magis magisque cupiditatibus indulgere possent, lavacro regenerationis sua munditie peccata negligebant, quales erant illi, qui primis Ecclesie seculis senectutem, vel mortis articulum expectabant; ut sacris undis regenerarentur. Eorum vanam fiduciam compescere, ac segnitiam maturare sancti Patres saepe suis in sermonibus tentarunt, ut S. Basil. Hom. XIII. Exhortat. ad Sanctum Baptisma (tom. 2. Operum edit. Maur. pag. 113.) S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 40. (tom. 1. Oper. pag. 652.) S. Augustinus, Serm. 132. num. 1. (tom. 5. colum. 450.) S. Joan. Chrys. Hom. prima in Act.

In secunda constituuntur Catechumeni, qui cum sint præcipuis Christianæ Religionis mysteriis imbuti, Christianis moribus exornati, ac Baptisti desiderio flagrantes, inopinata morte absque Baptismo corripuntur.

In tertia denique collocantur qui desiderio christianæ fidei suscipiendæ manifestato, sese erudiendos tradiderunt. At nondum ejus capita præcipua pollent, adeo ut de eis mysteriis, quæ necessario credenda sunt, ut loquuntur Theologi, necessitate mediæ ad salutem, actus elicere nullatenus valeant.

Præmissa hac enumeratione, dico primo, Catechumenis sub priori specie contentis, si illis nondum regeneratis ultimum diem obire contingat, ecclesiasticam sepulturam nequaquam esse concedendam. Ratio evidens est. Nulli enim competit ecclesiastica gaudere sepultura, nisi sit ecclesie membrum. Porro nemo inter ecclesie membra est recensendus, nisi Baptistate participes fiat regni celestis; Baptistate, inquam, vel aque, vel Sanguinis, vel saltem flaminis; & ut à Theologorum disserendi ratione non recedam, nisi Baptistate, vel in re, vel in voto suscepto. Catechumenus autem, qui saepius occasionem Baptisti suscipiendi posthabuit, nulla rationabili ratione coactus; quin immo Baptistum pessumdedit, ut gentilibus moribus quo fieri posset tardius valediceret, Baptistatis, neque in re, neque in voto factus est participes; igitur neque consors factus dicendus est regni celestis, neque inter ecclesie membra adnumeratus, atque inde ecclesiastica prohibendus est sepultura.

Dico secundo, si Catechumenus in secunda collocatum classe sacris undis nondum ablutum ex hac vita migrare contingat, ecclesiasticis cæremoniis esse sepeliendum.

Constat id luculenter Patrum, sacrorumque canonum auctoritate. Sane Canon apertissimus est C. Apostolicam de Presbytero non baptizato, ubi Innocent. III. ab Episcopo Cremonensi consultus, quid sentiendum de Presbytero sine unda Baptisti defuncto. Respondet: Quia in sancta matris ecclesia fide & Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solum, & celestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus in eundem. Mittit Episcopum ad legenda opera Sancto-rum Augustini, & Ambrosii, ac tandem concludit: Sopiis igitur quaestionibus Doctorum, Patrum sententias tenear: & in ecclesia tua juges preces, horitæque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato. Decretorius est In-

Innocentii textus, pro illis enim offerri preces & hostias publice in ecclesia nequeunt, qui jure privantur ecclesiastica sepultura. Si igitur pro Presbytero non baptizato defuncto jubentur offerri publice in ecclesia preces & hostie illum ecclesiastica potum fuisse sepultura, absolute est pronuntiandum. Quod eadem ratio sit habenda de Catechumeno nostro, ac de Presbytero, de quo in canone, nullum, puto, dubitare posse; cum rationes à Summo Pontifice pro Presbytero adductæ, æque militent pro Catechumeno. Uterque sine Baptismo decedit, uterque in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & in Christi nominis confessione perseverasse creditur; uterque ab originali peccato solutus; ac celestis patriæ gaudium adeptus præsumitur. Adde Innocentium pro sua stabilienda Patrum auctoritate sententiam, Orationem S. Ambrosii de obitu Valentiniæ adhuc Catechumeni vita functi adducere, scilicet, vult Pontifex ideo preces hostiasque offerri debere pro anima illius Presbyteri, quia easdem jussisset offerri S. Ambrosio pro anima Valentiniæ, adeo ut si pro Catechumeno offerri illæ non possent, Innocentii sententia prorus collaberetur.

10 Hinc est, quod idem Pontifex cap. Debitum de Baptismo, loquens de quodam Judæo, qui in mortis articulo constitutus semetipsum baptizaret, quamquam ejus Baptisma nullum sit, ut pronuntiat Papa, ibi tamen addit: Quod si continuo decessisset, ad celestem patriam protinus evolasset, propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum. Propter eandem rationem, C. Veniens, de Presbytero non baptizato, æque pronuntiat: Cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti, efficiatur proculdubio membrum Christi.

11 Innocentii III. sententia nova non est in ecclesia, sed antiqua ecclesiæ canonibus, priscaque consuetudine fuit. Ea enim suum habet fundamentum in Can. 98. Concil. Carthag. IV. habiti anno 398. (tom. 2. Concil. Collect. Labb. column. 1206.) & Canon. 11. Concil. Arelat. 11. habiti anno 452. (tom. 3. col. 1912.) Quamquam hujusmodi duo canones in Penitentibus dumtaxat loquantur defunctis non completa penitentia; cum tamen eadem sit hac de re ratio Penitentium, & Catechumenorum; ideo in patrocinium hujusce sententiæ præfati canones citantur à Theologis. Quidquid tamen sit de eorum efficacia pro nostra constabunda sententia, eo tempore quo fidei canones editi sunt, morem invaluisse fundendi in ecclesia preces pro animabus Cathemenorum, aperte constat ex S. Ambrosio jam supra laudato, cujus præstat verba recitare. Is igitur in Oratione de obitu Valentiniæ, postquam numer. 51. & 52. eum gratiam Baptismatis consequutum fuisse dixerat, quia Baptizari optaverat, ac Baptismi desiderium in eo vice Baptismi suppleverat, numer. 83. gregem suum hortatur, ut oblationibus Valentiniæ animam prosequatur, & sacris mysteriis requiem ejus poscat: neque separanda esse nomina (sacris in dypticis) Gratiani, & Valentiniæ, quamvis ille Baptizatus obierit. Date manibus, inquit, Sancta mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu. Date Sacramenta celestia, animam nepotis nostris oblationibus prosequamur. Extollite populi mecum manus in Sancta, ut eo saltem munere vicem ejus meritis rependamus. Numquam ego priorum fratrum separabo nomina, merita dicernam. (tom. 2. Operum edit. Monach. S. Mauri col. 1189.)

12 Hæc eadem est S. Aug. sententia, ut constat ex l. 4. de Baptismo contra Donatistas, numer. 30. & 32. (tom. 9. Operum col. 94. & 95.) nec non S. Bernardi Epistola, seu tractatu ad Hugonem de S. Victore, quam eorumdem SS. DD. Ambrosii, & Augustini auctoritate, ubi confirmavit, & subdit: Ab his duobus columnis Augustinum loquor, & Ambrosium credo mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me errare, aut sapere fateor.

13 Celebriores Theologi, & Canonistæ id pro certo habent, Passerinus, de statut. hom. tom. 2. quest. 187. art. 4. numer. 63. & apud ipsum Lexana, v. Sepultu-

ra, numer. 23. Bordon. resp. 51. numer. 176. Ad etiam tenet Card. Petra, comment. ad const. 2. Honor. III. sect. unica, numer. 58. Saxrus de censur. l. 5. c. 16. numer. 24. Barbosa, de off. & potest. Episcopi, part. alleg. 28. numer. 133. Bonacina, de Matr. quest. 4. punct. ultim. numer. 26. Thesaurus, de poenit. part. 2. verb. Sepulchri violatio, cap. 6. §. Limita quoad Catechumenos: Pax Jordanus, de re sna, l. 5. tit. 12. numer. 1200. Mirga tom. 1. tit. 2. disp. 4. dub. 7. Clericatus decisi sacram. 36. numer. 29. & 30. Gonzalez in cap. Ad Apostolicam de Presbytero non baptizato, Gagliardus, Anst. Jur. Can. l. 2. tit. de Baptismo, numer. 42. & alii plures qui citari possent.

Non inficior, huic huicque à nobis statuta doctrinæ opponi posse Concilii Brachar. II. auctoritatem anno 563. celebrati: quod quidem Concilium, postquam cap. 16. statuerat nullam commemorationem in oblatione esse faciendam pro iis, qui sibi metipsis necem inferunt, vel pro sceleribus puniuntur, neque eorum cadavera cum psalmis ad sepulchram esse deducenda, cap. 17. ita decrevit: Item placuit, ut Catechumeni sine redemptione Baptismatis defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque præstandi impendatur officium. (tom. 7. Concil. Edit. Labb. column. 841. & 842.)

Enim vero hujusce Concilii decreto occurrimus t. 15 cum Labor. tit. 12. cap. 15. n. 92. & Bordon. resp. 51. numer. 20. asserentes præfatum canonem intelligendum esse de Catechumeno illo, de quo constat ex culpa, & negligentia non fuisse baptizatum; quo quidem in casu eum non esse fidelium sepultura donandum, nos etiam tradidimus. 2. Dicimus, Bracharem synodum loqui de eo, quod ut plurimum accidit, nullatenus vero de casu necessitatis. Raro enim contingit ut Catechumenus perfecte dispositus, & Baptismi desiderio flagrans, absque regenerationis Sacramento decedat. 3. Reponam cum Bannentis, Cardinali Orsi, hist. eccles. lib. 42. num. 62. tom. 19. ubi relatius summam præfatis duobus canonibus, subjungit: Quanto à due ultimi casi ha prevaluto nella chiesa l' uso contrario, fondato, quanto alle preghiere per le anime de' giustiziati, nel cap. 14. del 2. Sinodo Aurelianaense, & quanto alle anime de' Catechumeni nell' esempio di S. Ambrogio.

His breviter enucleatis de secunda Catechumenorum specie, ad tertiam devenio. Dico igitur 3. Catechumenis nondum in Christianæ Religionis capitibus mysteriis erudiis, atque ab hac vita migrantibus sine Baptismo, non esse ecclesiasticam sepulchram concedendam.

Palmarie id est. In tantum enim Catechumeni aliquando fidelium more sepeliuntur, in quantum fideles sunt, atque æternæ vitæ assequende capaces. Ille vero, qui præcipua Christianæ Religionis capita ignorat, neque fidelis est, neque vitæ æternæ assequende capax. Sane absque cognitione, & fide Trinitatis, & Incarnationis, nemo fidelis, & christianus dici potest. Quod enim est, (inquit S. Aug. l. de dono perseverant. num. 2. tom. x. Operum col. 543.) initium verius christiano, quam credere in Christum? Fides autem in Christum, fidem cogitationemque Trinitatis, & Incarnationis præsupponit. Potro eorumdem mysteriorum cognitionem necessariam esse ad salutem consequendam, in confesso id est apud omnes veri nominis Theologos. Scio aliquos laxioris doctrinæ patronos nonnumquam arbitros fuisse, eandem cognitionem implicitam, ut dicunt, sufficere. Vide Domin. Vivam in Prop. 1. damnatam ab Alex. VII. num. 9. Verum ego majoris facis merechæ auctoritatem Jesu Christi Domini mei, qui absque distinctionibus, & ambagibus, Joan. 17. declarat: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum, quam horum Scriptorum tricas.

SEQUESTRATIO, SEU SEQUESTRUM.

SUMMARIUM.

- 1 Sequestratio, seu sequestrum quid sit.
- 2 Sequester quis sit & unde dictus.
- 3 Sequestratio, seu sequestrum differt à deposito.
- 4 Sequestratio, seu sequestrum est duplex, scilicet Sequestrum voluntarium, & necessarium.
- 5 Sequestrum voluntarium, seu conventionale quale sit.
- 6 Sequestrum necessarium, seu Judiciale quale sit.
- 7 Sequestrari possunt res mobiles, & immobiles, res corporales, & incorporeales, seu Jura, res profane, & spirituales.
- 8 Sequestratio, seu Sequestrum voluntarium regulariter est permittum.
- 9 Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, tamen post factam conventionem inter partes non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere.
- 10 Item neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte à tali officio recedere, nisi iusta de causa, & interveniente auctoritate Judicis.
- 11 Sequestratio, seu sequestrum necessarium regulariter est prohibendum.
- 12 Dantur tamen plures casus, in quibus licite potest fieri de Jure sequestratio necessaria. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis, quando Reus dissipat fructus quo conservare tenetur.
- 13 Secundo fieri potest sequestratio necessaria, ne dum quando Reus tales fructus actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet, aut dilapidet in futurum.
- 14 Tertio fieri potest, quando petitur res mobilis, & reus est suspectus, quod cum ea fugiat.
- 15 Quarto fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitur.
- 16 Quinto fieri potest in causis beneficiis, quando duo de beneficio contendunt, & neuter adhuc possidet.
- 17 Sexto fieri potest, quando reus conventus est contumax.
- 18 Septimo fieri potest, quando periculum est, ne partes contendentes ad arma deveniant.
- 19 Octavo fieri potest, quando colonus negat locationem, & contra dominum super dominio prælii litigat.
- 20 Nono fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet.
- 21 Decimo fieri potest, quando timetur de sevitia viri, & non potest securitati uxoris sufficienter caveri.
- 22 Undecimo fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsa, de cujus matrimonio contrahendo lit agitur, aliqua violentia inferatur.
- 23 Duodecimo fieri potest, quando servi conqueruntur de tyrannide dominorum suorum, & rationabiliter timetur, ne ob id Domini nimis cavent in illos.
- 24 Remedium Juris ad evitandam sequestrationem in supra allegatis, & aliis casibus, est sufficiens cautio, seu satisfactio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo parte adversa obtineat in causa victoriam.
- 25 Immo per sufficientem, & idoneam cautionem, seu satisfactionem, tollitur etiam sequestratio jam facta, cum datus fuerit fidejussor idoneus.
- 26 Alia usque in finem non indigent sumario.

SEQUESTRATIO, seu sequestrum est rei controversæ, seu fructuum ejus apud tertium securitatis gratia legitime facta depositio: Sic in re Communis. Et colligitur ex leg. Licet 17. in princ. ff. Depositi, & ex leg. Sequester 100. ff. de verb. signific. Unde sequester dicitur is, apud quem plures, nempe Actor, & Reus eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt, dictus ab eo, quod ejus fidem partes contendentes, vel Judex sequantur, dum res litigiosa ejus custodia committitur; cit. l. Sequester 100. ff. de verb. signific. Ferrar. Bibliothec. Tom. VIII.

nifi. ibi: Sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt.

Sequestratio, seu sequestrum differt à deposito. Primo, quia deponi possunt etiam res illæ, de quibus nulla est controversia; sequestrari autem possunt dumtaxat res illæ, de quibus est litis, seu controversia, l. Licet 17. §. 1. ff. Depositi. Secundo, quia non solum plures, sed etiam unus dumtaxat apud depositarium deponere potest; Apud sequestrem autem non nisi plures, l. Propria 6. l. Licet 17. in princ. ff. Depositi. Tertio, quia illi, qui rem communem depositam deponunt, non singuli eam in solidum, sed pro sua quisque parte, quam in re habet, deponere censetur, l. 1. §. Sed si duo, & cit. l. Licet, ff. Depositi: Qui autem apud sequestrem rem litigiosam deponunt, singuli in solidum deponunt, non pro parte, cit. l. Licet 17. ff. Depositi. Quarto, quia in deposito, quoties libuerit, res repeti potest; in sequestro autem non nisi post decisam controversiam; arg. cit. l. Sequester 100. ff. de verb. signific.

Sequestratio, seu sequestrum est duplex, scilicet, sequestrum voluntarium, seu conventionale, & sequestrum necessarium, sive Judiciale. Communis sequestrum voluntarium, seu conventionale, est illud, quod fit mutuo partium consensu, cum videlicet partes de re aliqua litigantes, rem illam mutuo consensu deponunt apud tertium, sive sequestrem, ut eam interim custodiat, & postmodum tradat vincenti. Et dicitur voluntarium, seu conventionale, quia illud faciunt, non coacte, sed proptia sua voluntate, & mutua conventionem. Sequestrum necessarium, seu Judiciale est illud, quod fit auctoritate, sive mandato Judicis, utraque parte invita, vel certe alterutra: Fit hoc dupliciter, vel motu proprio, & ex officio, vel ad instantiam, ut plerumque fieri solet, unius partis litigantis, altera contradicente, ut quando Actor petit sequestrari rem litigiosam, Reo contradicente. Et dicitur necessarium, sive Judiciale, quia fit auctoritate Judicis, invita utraque, vel saltem alterutra parte, & partes ipsæ litigantes necesse habent stare tali sequestro, eidemque plene obtemperare. Communis.

Sequestrari possunt res mobiles, & immobiles, res corporales, & incorporeales, seu Jura, res profane, & spirituales. Card. Tusch. verb. Sequester, concl. 101. n. 6. Barb. ad Rubric. tit. 17. de quest. n. 7. Pirhing. l. 2. Decret. tit. 17. numer. 4. Reiff. ib. n. 4. & alii passim.

Sequestratio, seu sequestrum voluntarium est regulariter permittum, quia est quædam species depositi, & consequenter est legitimus contractus, cit. l. Licet, ff. Depos. Unde Gailus lib. 1. Pract. Obser. 148. numer. 7. expresse dicit, quod sequestratio, que fit ex voluntate, & mutuo consensu partium, semper licite fit, l. Si soluturus 39. ff. De solutionibus, l. Propria 6. ff. Depositi, l. Interesse puto 39. ff. de acquir. possess.

Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, sicuti ceteri contractus approbati, l. Sicut 5. Cod. de actionibus, & obligationibus: Tamen post factam conventionem inter partes, non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere, iuxta illud vulgatum: Quod à principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis, per notabilem textum in cit. l. Sicut initio 5. Cod. de obligation. & actionibus. Item ob eandem rationem neque ipsi sequestri recipienti rem in custodia licet sua sponte à tali officio recedere, nisi juxta de causa, & interveniente auctoritate Judicis; l. Ei, apud quem 5. §. si velis ff. Depositi, & ibi Barolus in Summario. Joannes Monachus in regula Locupletari, numer. 5. Jason in l. Si fidejussor, Pirhing. loc. cit. n. 6. Reiffenst. loc. cit. numer. 7. & 8. & alii.

Sequestratio, seu sequestrum necessarium regulariter est prohibendum. Communis, per text. in l. unie. Cod. de prohibita sequestratione pecunie, & concordat cap. Ad hoc 1. de sequestratione, juncta Glossa ibid. verb. Arbitrio. Rota part. 10. recent. dec. 277. n. 14. Et ratio est, quia non est Judicium ab executione in-